

U.M.
RUM
E
ÉINZIA
UM

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio Viceſima Prima

PRÆSIDĒ
CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore


Respondente

JOHANNE GEORGIO MYLIO

Plaviensi Varisco

Dominicā Judica


A.O. R. Cl. Ic. III.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegely*

CHRISTIANO GENESES
Glossarum Hellenicis
Regio
Georgij
JOHANNES GEORGIO MICO
Psalterij Auctio
Dicitur
M. I. R. O. K.
MI. I. R. O. K.
I. O. K.



ANALYSIS EVANGELII

*Dominica Iudica
Joh. 8. à v. 46. usq; ad finem.*

PRÆFATI O.

 *T V. & N. Testamenti est asserio, quod Christus seu Messias lapis sit offensionis & petra scandali, Esaiæ 8, 14. Luc. 2, 34.*

Rom. 9, 32. Complementum illustre est tota vita Christi. Præprimis vero continet præsens Evangelium, dum Iudeis, quibus debebat esse lapis angularis & salutaris, legitur scandalum & petra offensionis.

THE SIS I.

*S*i quidem in eo est acris cuiusdam concertationis Christi cum Pharisæis in templo Hierosolymitano narratio. In qua habetur quoad humanitatem Christi vita:

M m circa

542

circa quam notanda ejus sanctitas & justitia, v. 46. In quo figuratè ab effectu tum provocat ad innocentiam, & est negata redargutio: Quis ex vobis arguet me de peccato? Quia enim Dei filios seipso nominabant, inquit: si Dei estis filij, utiq_z peccantem deberetis odio habere, ait Theophylactus in Johannem. Si igitur & me, quem odio habetis, potestis arguere peccati, manifestum quod me justo odio prosequamini. Quod si verò nemo potest me arguere: manifestum quod propter veritatē me exosum habeatis. Loquitur enim de doctrina & ministerio suo: videlicet quod nō sit pseudopropheta vel impostor. Ut non digneatur ex ratione ostendere, addit^r Gregorius, se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Et solent aliquando docentium verba, quantumvis vera & recta, ab audientibus contemni ob improbam illorum vitam, à verbis longè discordantem. Cum enim verba vita dissonant ob vita doctoris impuritatem, verba quoq_z contemptui habentur. Unde inquit Christus, nihil in me quod reprehensionem mereatur, aut peccati notam habeat, deprehenderis, ait Cyrillus l. 6. in Joh. c. 7. Ut discamus oportere irreprehensibilem esse eum, qui praest. Non, quod sine pec-

543

percato quis penitus esse possit in hac vita, sed quod ea, qua arguit in discipulis, oporteat summo perè vitare magistrum, habet Bernhardus sermon. de tribus ordinibus Ecclesie. Quoniam enim pacto aliis sanctitatem impertis, ait Isidorus l. 2. Epist. 56. profanus ipse ac nefarius?

2. Tum improbat ipsorum impudentiam ab incredulitate, ubi antecedens: Si veritatem dico. Thema enim erat: Vos Iudei debetis mihi credere, argumento sumpto abesse eti, quia veritatem vobis dico. At qui sic ille à vita ad doctrinam provocat, quia enim eum non redarguere sive convincere poterant, (hoc enim est ἐλέγχειν.) Veritatem utiq^z, dixit, quando dixit. Unde particula si, quod monet Cyrillus dicto loco, non exprimit conditionem, aut aliquam ejus, quod ponitur, cum hæsitatione suspensionem, & posita quadam hypothesi enunciationem, sed assertiōnem potius indicat, & ejus, cui adjacet, certam affirmationem. Ut discamus vel maximè veritatem esse dicendam, quia nullus suavior animo cibus, habet Lanctantius l. 1. de falsa religione c. i. quam cognitio veritatis.

Mm 2 3. Con-

3. Consequens: "Quare non creditis mihi? Habet autem interrogatio hæc vim increpationis & indignationis: quasi diceret quemcunq^z nemo ullius peccati convincere potest, ei vera annuncianti non credi indignissimum est. Me nemo ullius peccati convincere potest. Ergo indignissimum est & impudenterissimum mihi non credere cum nullas resistendi causas habeatis. Ut discamus pervicaciam Iudaorum & peccati causam.

4. Et Iudeorum improbitas & malitia v. 47. In quo ratiocinatio, cuius propositio continens causam: Qui ex Deo est, h.e. qui Spiritu Dei seruipatitur, & cura animæ sua afficitur. Alias, si rerum naturam intendimus, omnia ex Deo sunt; si vero spiritualem generationem, qua filij Dei gignuntur & ex Deo nascuntur, iij soli ex Deo esse noscuntur, qui fidem habent in eum & recte credunt.

5. Et effectum: Verbum Dei audit. Non tantum auribus corporis, sed & mentis, affectu & executione operis, ait Cyrillus super hunc locum. Audiendum est ergo verbum Dei & meditandum die ac nocte. Ps. 1, 2. In corde hono conservandum Luc. 8, 15. Non enim pertinet ad te, Domine, inquit Cyprianus

nus in sermone de baptismo, nec de tuis est,
qui te non diligit, nec diligit te qui scienter of-
fendit, dilectioni tuae detrabit, qui terminos à
te positos transit & Evangelij tui decreta con-
temnit.

6. **Conclusio:** Propterea vos non
auditis. Ita enim concludit: *Quicunq_z est ex
Deo, verba Dei audit. Vos ex Deo non estis.
E. vos non auditis verba Dei.* Est enim Syllo-
gismus infinitus ut minor non sit negativa, cum
particula negans transumpta sit ex majore
subintelligita, ac si talis esset: *Quicunq_z non est
ex Deo, verba Dei non audit: Et minor talis:
Iudei sunt ex iis, qui non sunt ex Deo, exponi-
bilis.* Et quamvis sint qui in secunda figura ar-
bitrentur Christum concludere, tamen parti-
cula illativa, propterea, non potest apponi mi-
nori, quemadmodum particula, quia, non con-
clusioni. Rectius itaq_z statuitur syllogismus in-
finitus in prima figura. Non enim vult ostendere
quod non sint ex Deo, sed concludere, quod
non audiant verba Dei, & ita nec credant.
Audiverunt quidem Iudei aure exteriori
verba Domini; sed ea neq_z mentis penitralibus
infixerunt, neq_z opere exercere contenderunt.
Hi vero verba Dei non audiunt, qui hæc exer-
cere in opere contemnunt, habet Gregorius

Mm 3 hom.

§46

hom. 18. super Evangelium. Sic ergo particula causalis $\Delta\gamma\tau\tilde{\alpha}\tau\tilde{o}$ non est index rei, sed consecutionis Logice.

7. Et ratio: Quia ex Deo non estis: Nempe per culpam & vitium, non per creaturam. Imitando enim Diabolum, filij Diaboli facti, habet Augustinus tract. 42. in Joh. & Cyrillus lib. 7. in Joh. c. 10.

8. Et quoad divinitatem, ubi disputatio de doctrina, & notanda est Judæorum calumnia v. 48. In quo tum causa, efficiens: Responderunt Judæi & dixerunt. Illi enim refutantur, cum antea essent gloriati de Abrahami prospicia: hanc quia disputationem hucusq. Christus concinnavit, quamq. ausi sunt & conatirefellere Judæi, ubi libera objurgatione in Christum aceruatim per convicia irruunt. Ut discamus semper contrariari malitiam veritati.

9. Forma in genere: Nonne bene dicimus nos? Arguita humilitati Christi opponunt suarum personarum autoritatem & sublimitatem. Nos dicimus, inquit, ut sacerdotes, pontifices, Aaronis vicarij, scribæ, Prophetas ad unguem tenentes in Mosis cathedra sedentes: Et se bene dicere jactitant cum maledicere presumant.

10. In

io. In specie , quoad personam :
Quod Samaritanus es tu. Ita non tantum
patria , siquidem ex Galilea oriundum puta-
bant , Joh. 7, 41. Et 52. quae erat vicina regioni
Samaritanorum , sed etiam religio ipsius Chri-
sto exprobata , & cœn levis , accusabatur : Sama-
ritani enim erant Ebnici & Assyrij à Salma-
nasere rege Assyriorum missi in Samariam in
locum abductorum Iudeorum in captivitatem
Babylonicam , ut ipsorum civitatem inhabita-
rent , qui licet à sacerdotibus informarētur , ta-
men retinebant multas idololatrias . Vnde nec
cibum cum ipsis capere Iudai volebant , Joh.
4, 9. Ideoq; Samaritanum eum vocant , tan-
quam abjectum & despicabilem , quasi legis
transgressor , invisum ipsis & odiosum , uti
monet Cyrus : Et notat Josephus lib. 9.
c. 14. de antiquit. Judaicis . Quidam putant
propterea hoc dixisse Iudeos , quia cum ipsis
conversatus , Joh. 4, 40. Quidam quia aliquo-
ties Samaritanos laudarat , Luc. 10. 37. Et 17, 18.
Ut discamus calumniatores s̄epe cum non pos-
sunt aliud fugillare patriam ; sic Moses in toto
orbis terrarum inter gentes Necromanticus ha-
bitus est . Elias consturbator Israe lis 1. Reg. 18, 18.
Iohannes Baptista demoniacus Matth. 11, 18.
Christiani dicti sunt Galilæi , ut habet Theeo-

Mm 4 doretus

548

doretus l.3.c.8 asinarij, veneficii, pessimi, Tertullianus in Apologetico c. 2. & 16.

ii. Quoad doctrinam: Et dæmonium habes. Hoc est, in spiritu Satanae ad fallendum es progressus, carens vocatione legitima ac divinâ. Atq; ita Iudei defensionem Christi invertere ac accusationem in ipsum retorquere conantur. Ut discamus ingenium calumnitorum plerunaq; uti, licet sapissime falso, jure retorsionis.

12. Et Christi innocentia, quæ probatur, argumentis tum absolutis à causa finali, quæ est Dei gloria v. 49. In quo iterum subjectum cum sit disputatio: respondit Jesus. Ut ostenderet, qua discretione convicia sunt avertenda: ut, quæ in Daum pertinent, majorem in modum defendamus, & non ad omnes calumnias taceamus, habet Chrysost. hom. 5. in c. 4. Matthæi.

13. Prædicatum, partim negativè summationem, uti litem contestari solemus: Ego dæmonium non habeo. Vbi prius convictionem de Samaritanismo silentio involvit, tanquam personale, quia 1. responsione erat indignum; quia 2. spiritualis Samaritanus Luc. 10, 33. Atq; ita non probosum, sed gloriosum, magisq; pertinebat ad officij majestatem amplius.

can-

candam, quām notam aliquam eidem inuren-
dam: Et ita maledictum maledicto non red-
didit, convicium conuicio non refutavit: no-
verat enim se esse nostrum custodem, uti habet
August. tr. 43. in Joh. Quis sic, quod respon-
dit, refutavit, quod tacuit, confirmavit. Ne-
gavit se habere demonium, qui se noverat da-
moniorum exclusorem, non se negavit infirmi-
custodem, ait idem de Verbo Domini. sermo-
ne 37. *Vt discamus contumelias ferre, & in*
propriis injuriis patientes esse, uti habet Chry-
sostomus hom. s. in cap. 4. Matth. Nihil
enim potest esse fortius, nihil egregius, quām
audire noxia & non respondere contraria, ait
Cassiodorus in Ps. 37, 15. Convicia verò ad
*doctrinæ confessionem facientia illa sunt di-
luenda. Interim modestè ac nervosè. Quippe,*
suscipientis, inquit Gregorius, injuriam, Deus
*non irascitur: non contumeliosa verba respon-
det. Qui si iisdem ista dicentibus respondere*
*voluisset: demonium vos haberis: verum pro-
fectò diceret, quia nisi impleti demonio essent.*
Talia verba de Deo loqui non potuissent.

14. Et affirmativè à disparatis: Sed
honoro Patrem meum. *Quasi diceret mea*
*doctrina directa est ad Dei gloriam & hono-
rem. Ergo demonium non habeo. Posito eni-*

350

uno, removetur alterum. Et quos agitat dia-
botes, illi referunt actiones suas ad suam, non
Dei gloriam ex illo Ps. 115, 1. Non nobis, Do-
mine, non nobis, sed nominis tuo da gloriam.
Dum autem dicit se honorare Patrem, non
negat se esse Deum: honorat enim Patrem,
non quoad essentiam, sed quoad officij obedien-
tiam.

15. Et ab effectu accidentalí conse-
quente: Et vos in honora stis me. Qui ta-
men sum legatus aeterni Patris, qui sum Dei si-
lius.

16. Et à diverso, quod est proprij ho-
noris despicientia v. 50. In quo per remo-
tionem: Ego autem non quero gloriam
meam. Arg, ita probat se non habere damo-
nium, quia qui gloriae sunt cupidi, & popula-
rem auram aucupari contendunt, illi gravius
offendi solent cum inproperiis incessanter: ego
vero, qui propriam gloriam non quero, inquit
Cyrillus, vestras in honorationes minimè curo.
Ut discamus gloriam & ja&tantiam propriam
vitare. Ne simus ridiculi nostrarum landum
tibicines, stultitiae improvidi proditores.

17. Et per assertionem: est qui quæ-
rit & judicat. Ita vere ostendit se omnino
provocare, non ad propriam gloriam, sed ad
Patriis

Patris, qui & querit & judicat; quin & contum filij graviter vindicat. Loquitur autem non de iudicio secundum afflictionem sive retributionem aut damnationem; sed de iudicio secundum discretionem, quo Pater gloriam filij discernit à cuiusvis etiam creature gloria, ait August. tr. 43. in Joh. *Ut discamus Deo committere vindictam.*

18. Respectivè seu comparatè, ubi verbi divini seu custoditi est efficacia v. 51. In quo tum obtestatio: Amen, amen, dico vobis. *O misericordiam,* exclamat Theophylactus, illi quidem injuriā afficiunt, iste autem questionem de gloria sua defensionem pairi permittens, ad admonitionem & doctrinam revertitur benefaciens his, qui injuria prosequuntur. Et voculam istam ingeminat, uti sèpe quidem usurpatur, sed apud Joh. solum ingeminari legitur, quo profundius nobis incundissima imprimatur tanquam affirmationis indubia signaculum.

19. Et declaratio, cuius antecedens: *Si quis sermonem meum servaverit. Id est crediderit.* Vbi non tantum fides intelligenda, sed & vita puritas, hoc enim est sermonem servare, habet Chrysostomus, quia tunc quis vere tenet verbum Domini, quando & puram

552

ram habet vitam, ait Theophil. Ut discamus servare sermonem Christi.

20. Consequens: Mortem non videt in æternum. Ac si ita concluderet: mea doctrina omnibus servantibus vitam æternam affert. Ergo non est ex dæmonio: quia dæmonis est occidere Ioh. 8, 44. Mortem autem intelligit anima perpetuam, quæ sola vera est mors & magnoperè formidanda: est enim separatio intermina à fonte vita, perennis & ne unquam finiatur semper recrudescens, mors secunda, finis & exiit nescia, habet Cyrill. c. 9. Ut discamus verbum Dei magnificere, si velimus à morte liberari æterna. Vnde doctrina vera in morte consolatur efficaciter. Quicquid ergo est, ait Cyprianus serm. 4. de morte quod exhorres in morte, omnino non exhorreas: Eius enim morem est timere, qui ad Christum non vult ire.

21. Quoad personam, ubi Judæorum saevitia in convicij replica v. 52. In quo conclusio: dixerunt ergo Iudei, nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Prins enim, ita interpretatur Lyra, tantum opinabamur, iam autem certifimus. Irripiunt, quippe Iudei argumentum à divina doctrina effectis petitum, & ex eo objectum crimen suum

suum confirmant, Christum damonium habere. Atqui ita perfidia qualiter exceptit! ô qualiter oculos claudit livor, quantum judicium præjudicata cordis nequitia confundit! Quod vult, non quod est, audit semper, qui decrevit errare, inquit Chrysostomus serm. 131. Non discutit itaq; Iudæus, audita explicari sibi dicitur. Et a non querit: quod ipse impossibile estimat, non exigit ut ille adstruat, qui promittit: sed mox de conceptu mentis blasphemiam parturit, serit injurias, maledicta diffundit, & autoritatem dicentis contumelias vacuare nititur, ut & eterna posse dare mortalibus non credatur, qui sic humanis videtur subiacere. Et sicut bonis necesse est ut meliores etiam per contumeliam existant: ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt, habet Gregorius.

22. Et ratio ab absurdo, cuius allegatio: Abraham mortuus est & Prophetæ. Ac si dicerent si Abraham & Prophetæ mortui sunt, falsa erit assertio tua, quod dicis: qui sermonem tuum servaverit, mortem in eternum non gustabit. Atqui Abraham mortuus est & Prophetæ. Ergo falsum, audientes verbum non mori. Verum sophistica & malitia verborum Christi inversio & retorsio: non enim dixerat gustabit, quod est omnium ho-

hominum, sed videbit mortem: aliud enim est mori, aliud videre mortem. Nempe Christus loquebatur de morte spirituali, ipsi vero assuebant de morte temporali. Mortui quidem sunt Abraham & Prophetæ, sed non in æternum. Ergo cum dicit, inquit Chrysologus, mortem non videbit, addit in æternum. Resurrectionem promittit, non temporaliter negat esse morituros. Moritur ergo, moritur omnis, qui nascitur de conditione mortali: sed vivit, & in æternum vivit omnis, qui renascitur de generatione vitali. Audiat ergo fidelis ut fide revelante cognoscat, quod infidelis ne scit audire: quod videre non potest qui semet incredulitatis demersit obscuro. Ut discamus solere plerumq; reprobos verba in alienum sensum malitiosè detorquere.

23. Tum est applicatio: Sed tu dicas, si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Quod tamen Christus non dixerat, sed uti dictum, dixit non videbit in æternum, ut malitiosa sit interpretatio & applicatio.

24. Et à Iudæis Christo ex probata arrogancia v. 53. In quo per interrogacionem, quæ vim negationis habet partim de aliis: num tu major es patre nostro Abraham;

ham, qui mortuus est? *Quoniam Iudei in Christo solam carnem attendebant & modo hominem ipsum putabant.* Propterea cum stomacho & iracundia interrogant, habet Cyrillus lib. 6. in Ioh. c. 10. Et Prophetæ mortui sunt, quos omnino majores opinabantur.

25. Partim de Christo: *Quem tu te ipsum facis?* Quasi dicerent: non est ferdanda a quo animo tua superbia, qua te ipsum adeò tumidè effers, habet Cytillus.

26. Et Christi ex sententia Judæorum jactantia v. 53. In quo ab arrogantiæ argumentantur per interrogationem: num quid tu major es? Ac si ita concludere videarentur: *Qui majora de se suog, sermone pollicetur, quam veritas comprobat, iste demonstrat se habere demonium,* & majoris divinæ gloriae esse cupidum; sed tu talis es. Ut discamus contumeliosè ipsos interrogasse: tu qui nullius momentis, qui fabri filium, qui ex Galilæa, quem te ipsum facis?

27. Et Christi instantia, per simplicem exceptionem, tum de gloriæ affectatae apologia v. 54. In quo ab effectu antecedens: respondit Jesus: si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Respondet enim ordine retrogrado ad objectum crimem ambitionis,

556

tionis, diluendo illud per inficiationem, se non
esse arrogantem: argumento negato: qui-
cūq; enim seipsum honorat iste ambitionis reus
peragi potest, non qui ab alio honoratur. Ut
discamus propriam gloriam vitare, quia nihil
stultius est, quam jactantia, nihil inanius
quam arrogantia. Unde & gloriae cupiditas in
scripturis est interdicta Rom. 12,16. ab eaq; nos
exemplum Christi Phil. 2,5. Petri Act. 10,25.
Pauli ad Gal. 1,10. dehortatur. Christiana
charitati est contraria 1. Cor. 13. est ventosa,
est detimentosa in omni statu.

28. Et consequens à causâ à relato:
est Pater meus glorificans me. Refert glo-
riam suam ad Patrem suum, quia in baptismo,
transfiguratione, operibus miraculorum, Filius
à patre glorificatus est, declaratus & mani-
festatus. Hujusmodi autem glorificatio, habet
Cyrillus l. 6. in Job. c. II. non consistit in no-
va gloria adiectione ad eum, qui glorificatur,
sed in gloria jam habita manifestazione. Is Pa-
ter ergo & testis & vindicta est gloria mea, acer-
rimus.

29. Et declaratione denotata: quem
vos dicitis, quia Deus vester est. Ne arbi-
trarentur ipsum alium intelligere, qui glorifi-
caret, sed ipsum eundem, allegat gloriae sue
testem

557

testem & vindicem, ut eos eò magis mendacij
argueret & refelleret.

30. Tum de Judæorum inscitia v. 55.
In quo convincit ipsos ab accidente igno-
rantiæ: Et quidem directè de Judæis: &
non cognovistis eum. Notum quidem erat
nomen Judæis Ps. 76, 1. imo Deus nūnciavit
verbum suum Jacob, & secreta sua Israel Psal.
147, 19. Et tamen Deum patrem non cogno-
verunt, quia filium eum habere non credide-
runt. Si enim patrem cognovissent, filium ejus
recepissent. Quin iÿ soli cognoscere Deum di-
cuntur, qui viam mandatorum perambulant,
neq; ab ea quaqua versum declinant, habet
Cyrillus.

31. De se à contrario, absolute: Ego au-
tem novi eum. Hoc est ego doctrinam de si-
nu Patris attuli & novi decretum Trinitatis
de salute hominum factum, & novi eundem
quoad essentiam & voluntatem cum sit mihi
cum illo eadem.

32. Conditionatè negativè: Et si dixero:
quod non scio eum, ero similis vobis men-
dax. Ac si diceret, si hæc negarem & ve-
ram notitiam Dei vel occultarem, vel acerem,
utiq; mendax essem sicut vos, qui falso glo-
riamini de ejus cognitione. Ergo arrogantia

N n non

558

non ita caveatur, ut veritas relinquatur, ait Augustinus.

33. Affirmativè probat ab effectu: sed scio cum. Non nosco tantùm, sed intimè scio quod magis & majus est: siquidem Pater & Filius unum sunt, Joh. 5,11. & pater per filium cognoscitur Matth. 11,17.

34. Et sermonem ejus servo. Quo ipso docet, se habere non notitiam historicam tantùm, sed practicam. Hoc est propterea scio eū, quia habeo in me ipso sermonem essentiae ejus, habet Theophylact. in Joh. Etiam facio voluntatem obeundo munus meum. Ut discamus tunc quempiam scire Deum si præstet ejus voluntatem.

35. Et per exceptionem comparatam, estque Abrahāmi Christum videntis lētitia v.56. In quo ad exemplum Abrahāmi respondet Christus per distinctionem & insciationem; ipsum non esse mortuū. Quo ad interiora: Abraham pater vester exultavit. Ut doceret Iudæos alienos esse ab Abraham: siquidem de quibus ille gaudebat illi tristabantur habet Theophylactus, & Chrysostomus. Atque ita negat Abraham sibi præferendum dum gavisus est, quando de Christo seu Messia cogitauit vel audivit.

36. Quoad

36 Quoad exteriora à causa finali, de
futuro: ut videret diem meum. Hoc est tem-
pus illud quo in assumpta carne opus redempti-
onis perficeret. Ac ita se longè majorem A-
braham ostendit, quod illi tamen velut arro-
gantiae crimen objecerant.

37. De præterito, dum vidit & gavi-
sus est. Non quidem oculis corporis, sed in
spiritu & fide, quando cognovit Christum ex
su stirpe in carnem nasciturum, ut habet Cy-
rillus lib. 6. in Joh. c. 11. credens promissioni-
bus de semine benedicto sibi factis. Unde ita
concludit: si Abraham vidit diem meum &
gavissus est, non est mortuus, sed vivit. Vidit
vero etiā ratione originis & generis, quando
Eliezer manu ad femur Abrahæ posita obstrin-
xit se juramento corā Domino cœli. Quid vult
Deus cœli ad femur Abrahæ, inquit August.
tr. 43. in Joh. 2. Ratione essentiæ & natu-
ræ quando tres suscepit hospites Gen. 18, 3.
inter quos unus fuit filius Dei, ut statuit Ori-
genes hom. 4. in Gen. Ratione crucis &
passionis in oblatione Isaaci & arietis secun-
dum Nazianzenum Oratione 2. de hæresio-
logia secundum Irenæum lib. 4. Ita vidit
Patrem diem, Filium diem, & Spiritum S.
diem, & in his tribus unum diem, ait August.

Nn 2 de

506

de tempor. serm. 70. ô fidei vim, quæ natura
non potuit, ea fides sub obscurè delineavit, ait
Basilius Seleucensis orat. 20.

38. Et conclusio facta tum verbo,
ubi Iudæorum pertinacia v. 57. In quo ab
absurdo ex minorennitate: dixerunt ergo
Iudæi ad eum quinquaginta annos non-
dum habes. Negant scilicet, responsonem
Christi & omittunt omnia, quæ ad ipsorum
informationem facere potuissent, & arripiunt
unicum, quod pessimè invertunt, simulq; non
præcise tempus ætatis Christi denotant; prout
quidam erroneè de hinc concludere voluerunt.
Qui enim vel triginta annos natus est, ille non-
dum quinquaginta habet, licet videri possit
Cyrillus l. 4. in Ioh. c. 12. Quare autem
quinquaginta annorum meminerint, respon-
det per 50. annum ex reverentia jubileum no-
minasse ex quo manumissio siebat.

39. Et impossibilitate, per interrogatio-
nem sarcasticam formatam: Et Abra-
ham vidisti? Ac si dicerent, si tempore Abra-
ha nondum fuisti, eum etiam videre non potu-
isti. Abraham vixit ante annos circiter bis
mille. At tu nondum 50. habes. Ergo impos-
sibile est te Abramum videre potuisse. Et ita
de æternitate filij Dei dicta scripture negligen-
tes,

tes, humanae solum annorum etatis curriculūm, in eo enumerabant. Christus dicebat de visione spirituali, quæ sit oculis fidei, hi intelligunt de visione corporali. Ut discamus hostium malitiam.

40. Et Christi affirmando perseverantia v. 58. In quo asseveratio: dixit eis Iesus: Amen, amen, dico vobis. Ubi, omnia emphatica, juramentum geminum est: ut videamus rem maximi momenti hic tractari: non tam propter Iudaos obstinatos, quam propter fidèles suos. Quamvis & illos benignè à carnis sua intuitu submovere & ad divinitatem adducere voluerit, uti habet Gregorius hom. 18. in Evang.

41. Et æternitatis suæ demonstratio: Priusquam Abraham fuit, ego sum. Demonstrare quippe voluit, se omnino Abrahamo priorem fuisse: non quidem secundum humanitatem, secundum quam, quoque vivendi dicendum fuisset, uti de Abrahamo; sed secundum divinitatem, secundum quam tò eivæ usurpat. Cum Præsens soli Deo competit, creaturis vero Præteritum & Futurum, ut monet Eusebius lib. 10. c. 11. de præparatione Evangelica. Unde, inquit August. tract. 43. in Ioh. attende verba & cognosce Mysterium. Intel-

Nn 3 lige

562

lige fieret ad humanam naturam: sicut verò ad divinam pertinere substantiam. Quod sum videtur desumtum ex Exod. 3,14, Ut discamus Christum verum Deum, quia Deum Patrem habet, cum quo unum est. Secundo quia habet verba vita, & deniq; quia ante Abrahamum fuit. Neq; illud yphéodg intelligendum est de præsenti, sed de præterito. Unde Augustinus tract. 48, in Ioh. inquit, Iudei intellexerunt quod Arriani non intelligunt, alias lapidare eum noluissent. Deinde illud Ego non ag; intelligendum, uti Marth. 28, 20. Nam Christus hic loquitur de sua persona, qualis erat ante incarnationem, id quod evincitur ex particula temporis antequam illic verò loquitur qualis fuit post incarnationem respectu totius, secundum uiramq; natu- ram, inibi de Persona, hic de Officio.

42. Tum factio, ubi Iudeorum *Antiquitatis* v. 59. In quo directè ipse quoad Iudeos, effectus: Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum. Ita Satanicis furis perciti Christum tanquam blasphemum in ipso tem- ple obruere tentant. Atq; mentes infidelium quem intelligere non poterant obruere vole- bant, habet Gregorius. Qualia enim corda, talis etiam armatura, habet August, traç. 43. in

in Ioh. Est quidem lapis angularis Ps. 118, 22.
 lapis conterens statuam Nabuchodonosoris
 Dan. 2, 34. lapis quo infernalis Goliath stratus,
 1. Sam. 17, 49. Sed male lapidatur, quamvis
 visus ipsis blasphemus; quia nondum convictus
 ex Lev. 24, 20. quia non aptus locus ex 1. Reg.
 12, 16. Sed cum rationibus Dominum vince-
 re non potuissent, nec ejus amplius ob sistere ver-
 bis, ad laudes currunt, nec servato recto ordine
 judicij, habet Cyrillus lib. 6. in Joh. c. 12.
 nec habita sacri loci ratione cum iubeatur ex-
 tra castra & civitatem duci 2. Reg. 11, 15. sed
 unde se occiderent, miserabiles attulerunt, in-
 quit Chrysologus. Ut discamus furorem im-
 piorum & præmia piorum, quod & testatur
 exemplum Davidis 2. Sam. 16, 6. Stephani
 Act. 7, 54. Pauli 2. Cor. 11, 25.

43. Quoad Christum, cuius nota-
 tur effectus generaliter: JESUS autem ab-
 scondit se. Nempe tanquam homo, tanquam
 in forma servi, tanquam passurus, tanquam
 moriturus, tanquam nos suo sanguine redem-
 turus: non timens, sed ignoscens Deus pecca-
 torem cum fugit, parcit, habet Chrysostomus
 serm. 131. ut ostenderet, quod id fieri oporteat
 in omni persecutione, ne sua quis culpa incidisse
 videatur, ait Lactantius lib. 4. de vera sa-

Nº 4 pien-

570

pientia c. 18. Imitatione ergo Dei gloriōsius est
injuriam tacendo fugere, quam respondendo
superare, habet Gregorius.

44. Et exivit e templo: Mirum
valde est, inquit Gregorius, cur persecutores
suos Dominus abscondendo se declinaverit,
qui si divinitatem exercere valuisset tacito nu-
tumentis in suis ictibus eos ligaret, aut in pena
subita mortis obrueret, sed qui pati venerat
exercere iudicium nolebat. Ut magis com-
mendanda patientia, habet Augustinus,
quam exserenda potentia.

45. Tum modus; transiens per me-
dium eorum. Nempe erat humanitas se
abscondere, sed divinitatis transire, potissi-
mum cum eum circumdedissent. Neq; enim
abscondit se in angulo templi quasi timens aut
in domunculam fugiens, ait Cyrillus lib. 6.
c. 12. sed cœlica potestate insidiantibus invisi-
bilem se constituens, quemadmodum cum Ju-
dai eum de supercilie montis præcipitare vo-
luissent, ipse transiens per medium illorum
ibat, Luc. 4, 30. Ita mirabiliter suos quoq;
abscondit, Elisaeum 2. Reg. 16, 18. Jeremiam
c. 36, 19. Et sic præteriit, hoc est, simpliciter
absq; ullo labore, ut interpretatur Theophy-
lactus. Ut discamus fugere esse licium in per-
secu-

secutione particulari, simulq; obseruemus ma-
jestatis specimen illustre. Decebat enim ipsum,
scribit Epiphanius hæres. 42. contra Mar-
cionitas lib. 1. qui Deus erat & corpus suum
in spiruale transmutabat, ostendere quidem
corpus verum, disparere autem quando vole-
bat, quia omnia ipsi possibilia sunt. Quod si sig-
tur Christus in statu humanitatis per medium
inimicorum transire potest, etiam in statu ma-
iestatis corpore suo glorificato modo invisibili
in medio nostrum versari poterit.

N O T A E.

I.

Quis ex vobis arguet me de pecca-
to] Considera Christum provocasse
ad innocentiam suam, Ut discas cum di-
ceris à Christo Christianus, te immunem
præstare à peccatis similiter.

II.

Dicunt Judæi Samaritanus es & dæ-
monium habes] Considera pati-
entiam Christi nihil respondentis de nomi-
ne Samaritani, quia tangent contume-
liam persone, sed de demonino, quia respi-
ciebat gloriam Dei, Ut discas non tam

Nn 5 - gloriam

566

gloriam propriam vindicare, quam Dei
gloriam.

III.

Si quis sermonem meum] Considera verbie efficaciam: Ut discas verbum Dei, si æquè mori non optas, in æternum servare.

C A S U S.

An ad calumnias respondendum extra judicium?

N Egativa videtur verior: quia i. Christus, ubi vocatur Samaritanus, nihil excipit. Insignis autem erat calumnia, Cyril. l. 6. in Joh. c. 8. quum ipse Galilæus.

2. Scriptura negat maledicenti respondendum esse: Et non esse conviciandum, sed benedicendum Matth. 5, 44.

3. Jura volunt, ex C. si quis imperatori maledixerit, dum inquiunt si quis modestiae nescius & pudoris ignarus improbo petulantiq. maledicto nomina imperatoris lassissi verit, ac temulantia turbulentus, obrectator temporum fuerit, eum pœna nouimus

lumus subjugari, neq; durum aliquid, nec
asperum volumus sustinere: quoniam si ex
levitate processerit contemnendum est; si
ab injuria, remittendum, si ab insania mi-
serescendum.

4. Non debet se quisquam purgare
relatione criminum, sed innocentia l. si
quis reus factus s. ff. de publicis judi-
ciis. Clarus in §. Injuriaz quæro etiam,
Instit. de Injur.

Contra i. hic v. 44. dicit ad Iudeos
Christus quū dixissent ipsum habere dæmo-
num; vos ex patre Diabolo estis, non ego.

2. Responde stulto, ne videatur
sapiens, Proverb. 26, 5. Ad calumnias
conticescere non oportet, non ut contradic-
cendo nos ipsos defendamus, sed ne menda-
cio progressum permittamus circumven-
tos damno affici patiamur, habet Basilius
orat. de Invid. & odio. Aristot. 2.
Rhet. 2. inquit. Referentes injuriam non
efficiunt injuria, sed vendicant injuriam.
Sotode J. & J. lib. 1. q. 9. art. 3.

3. Nihil delinquit, qui id agit non
ut alteri, sed ne sibi sit nocitum, arg. 1. 2.

§. 9.

374

9. ff. aqua & aquæ pl. arcend. & arg.
1.25. ff. de procurat. Nec crimen aliquod
pertimescit cum sibi ultionis suæ arbitris
um seit esse concessum l. 5. C. de metat:
& Epidem. Menochius cons. 42. n.
20. lib. 2. observ. 100. Et 1. ff. quod quis
in alium statuit.

Ad argumenta 1. Christi exemplum
est heroicum, & negat privatam vindic-
tam. simulq; innuit, quum Samaritanus
significet custodem, ipsum fassum se esse cu-
stodem, ut August. tract. 43. in Joh. un-
de quod tacuit, confirmavit.

Ad 2. Non maledicendum animo
conviciandi, sed benedicendum animo e-
mendandi. Et uti dicta odium erga inimi-
cos prohibentia non tollunt publicam vin-
dictam; ita quæ svadent patientiam, non
prohibent famam defendere. Et uti in
omni casu tenemur remittere rancorem,
animi c. ult. dist. 5. de poenitent. quia nō
est licitum aliquem odio habere, c. cum
in leg. q. 4. 23. tamen non tenemur remit-
tere actionem injuriarum, seu coercitio-
nem aut disciplinam contrainjuriantem.

3. Quod

3. Quod concernit legem Codicis
loquitur illa de levitate & insania, ita ta-
men quo integris omnibus ad scientiam
imperatoris referatur, ut ex personis homi-
num dicta pensentur & utrum pratermit-
ti, an exquiri debeat, censeatur. Male-
dicere enim magistratui severissime pro-
hibitum, Exodi 22,28. Act.23.5. Bocerus
c.3.n.5.ad l. Majestatis.

Ad 4. Hic agitur de mutua accu-
satione, ubi reus non potest accusare ad-
versarium nisi prius sese excusaverit, ob-
hanc rationem, quod non relatione crimi-
num; sed innocentia vera purgetur, quod
hic locum non habet, si quis malitiosè ver-
bis ab alio provocatus se purgare voluit
l. 25. §. sed si ff. de procuratoribus.
Agit enim, non ut alteri, sed ne sibi sit no-
citur.

An rectorsio verbalis licita?

VIdetur plerisque 1. quia Christus hic
v. 48. & 49. Iudeis dixit: ego da-
monium non habeo, vos ex patre diabolo
estis.

2. Quia

2. Quia Jeremias c. 37, 14. qui
ubi prodictionis accusatur, dixit: non est
verum: non fugio ad Chaldaeos.

3. L. 3. ff. de J. & J. ubi dicitur
quod vim & injuriam repellere liceat, ubi
quod de vi ad corpus, quod de injuria ad
honorem referendum Harprech ad tit.
inst. de injur. §. hæc actio 12. n. 19.
& l. 14. §. si liberis 6. ff. bonis liberto-
rum: ubi dicitur ignoscendum esse ei, qui
crimina objecta in conciliatorem retorsit
cum provocatus se ulcissi voluerit. l. 26. ff.
de procuratoribus, ubi Ulpianus ait, si
adversarius vel ipse procurator dicat, do-
minum mentiri apud prætorem finiri opor-
tere, nisi forte purgare magis convitum,
quam prourationem exequi maluit, cœ-
terum pudorem suum purgans, ferendus
est.

4. Vita & fama pari passu ambu-
lant l. 9 ff. manu. vind. l. 8. §. ff. quod
metus causa per vulgata.

Sed contra l. omnis privata vindicta
prohibita Lev. 19, 18. Deut. 33, 35. Ps.
94, 1. Nah. 1, 8. Rom. 12, 19. Hebr. 10, 30:
qui

qui cum conviciis afficeretur, non regessit,
conāvliodocei i. Pet. 2, 21. At retorsio est
privata vindicta Bocer^o Class. 6. disp. 1.
th. 3. in tit. de famos. c. 3. n. 47. n. 51.

2. Nemo in propria causa sibi jus dicere debet. At qui hoc facit, qui retorquet injuriam.

3. Quia contra mansuetudinem, patientiam, modestiam. Plato inquit l. II.
de LL. Injuriā affectus non debet verbis sufficientem offendere, sed modestè se excusare, & se à vitio purgare. Rennemannus de jure Rector. parte 1. Quod argumenta contraria attinet

1. Non retorta sunt verba, sed contradicit & se defendit, nullius recriminationis facta mentione: At de substantiaretorsionis est, ut fiat verbis contra præsentem ore, contra absentem charta dicendo & scribendo: tu mentiris. Berlich. concl. 64.
n. 8. Est ergo querela de injuria, dum subjicit, vos in honoratis me, & revocatio injuria facta ad animum ex l. II. §. i. ff. injuri. Quod enim ex v. 44. afferitur, vos ex patre diabolo estis, hoc referri non potest,

cum sit ante illatam injuriam prolatum,
quo refutat Salvator Iudeorum jactan-
tiam, ac si essent semen Abrahæ: vos ex
patre Diabolo estis, inquit, non ex Abraha-
mo quoad fidem & opera.

Ad 2. Jeremias tantum dicit: fal-
sum est. At consentiens est omnium retor-
sionis Dd. opinio quod dicendo falsum est,
nulla sit injuria & per consequens nec re-
torsio. Harprecht. §. injuriam autem
I. injur. n. 70. Berlich. part. 5. con. 59.
Th. 65. Schrad. in repet. ad I. admo-
nendi de jure jur. n. 17. Tuscus, ver-
bo mentiris concl. 204. n. 12. Sic Nerv-
a inquit: convitum non fuit quando,
quod ipse responderat, falsum esse scribit.
I. si rem 29. ff. de evict. Ideoq; hoc non
egit Jeremias, ut in ipsum præfecturæ ma-
gistrum retor queret, ac si ipse, quod retor-
sionis proprium, transfugij reus esset, sed
ut sese à criminis hujus suspicione liberaret.
Reliqua vide apud Rennemannum in
de Jure Retorsionis. Si tamen commendandi
animò fit, non est injuria. Arist. 4. Eth.
c. 11. 2. Rhetor c. 2. Finckeltauß
obseru. 57.

ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତ୍ । ୧୦ । ୨୫

Quisquis convicium Christo, ceu scul-
pere torno

Conetur milium, dicit, is usq; facit. (pers
Integer at sanctusq; quod is culpabilis ex-
Labis, ut adversum provocet omne genus.

Arguat, exposco, q̄s me peccaminis, inquit.

**Et si vera fero, creditis anno mihi?
Audir verba Dei quisquis ne parus ab illo.**

Vos non auditis. Estis auctorato Dei?

At responderunt Iudei: vera profamur

**Quod Samaritanus, Dæmona quodque
foves.**

**Christus: Daemonium mihi nullum: semper
honorō**

Patrem, vos facitis probra scelesta mihi.
Teſtor: quisque meum verbum servabit, in

Mortem nequam sentiet ipse suam.

At Iudeus ait contra: cognoscimus anno?

Dæmona q̄ foveas, talia quando refers?
Mæmora. C. ad. I. — f. 2. v. 1. i. 2.

Mortuus est Abraham, sancti reliquiq; Prophetae.

Tu dicis nullum posse videre necem:

Majorcs

Major es haut istis expertis spicula mortis
Omni bus: ast ex te quem facis, ipse vide!
Sed J̄esus: ego si volo glorificare me ipsum,
Sicut censem, gloria nulla mihi.
At me glorificat meus ille Paterq; Deusq;
Quem malè vos vestrū dicitis esse Deum.
Nec cognostis cū sed ego: Si dixerō me non
Nosse, forem mendax, vos velut esse scio.
Novi, sermonem servo: lætatus Abrahamus
Cerneret utq; meum, vidit & ipse, diem.
Contra Iudæi, quinquagenarius haut es,
Te vidi sicut tamē dicis, incepte, patrem.
Arrestor sancte reget tūm Christq; & ante-
Quam Pater Abraham vel fuit ipsq; eram.
Ergo saxa tulit qui vis lapidaret ut ipsum,
Abſcondit sed se tutus abſtq; loco.
Hæc Mylius repetit: pergit! habebit ho-
norē;
Nam talis, nullum non tenebrare solet.
Ita censem
GUEINZIUS.
Sacrificat Iudæi populi nova limina ponit
Sacrīs, in templo vendit crīstq; boves.
Nunc hoc nūc illud statuit, creditq; ne-
fanda
A Christo admonitus nec meliora facit.
Filia tractanti quamvis applaudere possim
Dicitur hoc verbum, Mylius, addo, sicut
MATTHÆUS Bernstein.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle
003 808 483

3



VÖ 17

EV

CH R 15
H 33 C



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ITIARUM
ELICARUM
Vicesima Prima
RÆSIDE
NO GUEINZIO
Masii Hallensis
Rectore
pondente
GEORGIO MYLIO
ensi Varisco
nicâ Judica
R. cl. Ic. III.
IS SAXONUM
um Melchioris Oel-
chlegely